

MVSÆ HOSPITALES WICCHAMICÆ

IN

ADVENTVM ILLVstrißimi Principis FREDERICI-VLRICI *Primogeniti* HENRICI IVLII,

Serenissimi Ducis Brunsuicensis, *& Luneburgensis.*

Exhibitæ Oxoniæ in Collegio Nouo. die 6. Mensis Maij.

ANNO DOM. 1610.




MVSEVM
BRITAN
NICVM



MVSÆ HOSPITALES WICCHAMICÆ.



Ntiqui prisco dictas de nomine terras
Brunonis, *patrij rura beata soli* (nis
Deserit Henrici Iuuenis *de stirpe* Leo-
Editus, & tanti nomine dignus aui,
Tangat vt Anglorum *fines, & rura* Britanna,
Quâ Tamisis *lætos lentus oberrat agros.*
Quis tibi, Guelphorum *soboles clarissima, nostri*
Tantus erat, tanti causa laboris, amor?
An quia, quæ, pulsis gens imperat alma Britannis
Anglica, Germanis *edita fertur auis?*
An quòd ab Henrici, *genus, altâ stirpe* Secundi,
Nobile, de magno nate Leone *trahas?*
An quia cognatis Otto *suffultus ab* Anglis
Armato Sueuas *milite pressit opes?*
An quia communis Dano *de germine sanguis*
Ad consanguinnei Principis *ora vocat?*
Quæ te cunq; tuis sors, hospes nobilis, oris
Abstulit & nostris reddidit æqua locis:
Ingredere auspicijs doctas fœlicibus arces
Musarum, & studijs tecta sacrata pijs:

Quodq́; vnum tenues possunt dare munus Athenæ,
Carmina placatà suscipe nostra manu.
Sic Schola, *præsidijs quæ fulta superbit auitis,*
Iulia *successus sentiat vsq́; nouos:*
Sic reducem, post tot pelagi terræq́; labores,
Wolfenbuttelîâ *cernat in arce* Pater.

N*Obilis ô Princeps, magni spes magna Parentis,*
Et iam Wicchamicæ *gaudia facta domus,*
Qui facilis nostras dignaris adire Camænas,
Hæc facili capias munera nostra manu.
Aula ostentet opes, pretiosaq́; munera reges,
Cedimus hîc victi, Principis Aula, *tibi.*
Solus amor nobis: Nudum præstamus Amorem:
Non hîc nostra tibi cesserit, Aula, domus.

C*Vm modò mellifluo* Vicecancellarius *ore*
Excepit solito teq́; tuosq́; modo,
Linguâ respondes simili; facundia Vlysſis
Emicuit verbis, Neſtoreúmque decus.
Fœlix terra parens, quæ talem iactat alumnum,
Fœlix quæ peperit, qui genuitq́; Pater:
Fœlix qui docuit, nec non Academia fœlix,
In qua perdidicit sic tua lingua loqui.

Ingenio,

Ingenio, Frederice, *tuo gens Anglica gaudet:*
Ingenio patria est terra superba tuo.

TE dulcem patriam, charumq; relinquere patrem,
Velle per ignotas ire, redire, vias,
Non animi iuuenilis erat, sed nobilis illud
Virtutis signum est, indiciumq; tuæ:
Segnitiem probat hoc tibi non placuisse, nec vndâ
Nec terrâ externâ te timuiße mori.
O dignam prolem! dignum hæredemq; parentis!
O dignum titulis, nomine, honore pari!

In FREDERICVM VLRICVM cui è stemmate paterno proauus *Henricus Bellicosus,* *auus Iulius Pacificus,* Pater *Henricus Iulius,* heros eloquentissimus Græcis Latinísque literis excultus, è stemmate materno *auus Fredericus secundus Rex Daniæ* auia *Sophia* illius vxor.

PAtre Ducum soboles, materno sanguine Regum,
Ingenio notum reddis vtrumq; genus.
Quod sincera fides tibi sit, quod pagina sacra
Cognita, Pacifici *facta imitaris* Aui:
Artes quod sapias teneris maturiùs annis,
Te Sophiæ *prolem quilibet eße putet:*
Quod fortem Martis te spes promittat alumnum,
Laus gentilitiæ est scilicet illa domus.

Te patrum virtus, patres tu, nobile germen,
Laudas: sic illis præmia digna refers.

HENRICVS proauus *Mauortis fortis in armis:*
Musis, Pacificus, *tecta dicauit* Auus:
Henricum patrem Musæ coluère, suóque
Suscepit docto docta Thalia sinu:
Hìnc tu Germanis spes optima nasceris; in quo
Maiorum virtus, totaq; fama viget.

P*Andite nunc Helicona mihi, si quando, Camænæ,*
Atq; intret pectus plenus Apollo meum:
En patriæ, Princeps clarissimus, *arua reliquit,*
Sustinuitque Ithacam *deseruïsse suam,*
Vt poßit vestras, ô Musæ, inuisere sedes,
Quas Tamisis *tumidis nobilis ambit aquis.*
Dignus is in cuius laudes Helicona citetis,
Quantumuis vestros nollet adire locos:
Sustineat vestros sed cum subijsse Penates,
Nimirùm tanti victus amore loci;
Promeritis tantis, Ducis *in præconia* tanti,
Laxanda est totis Pegasis vnda vadis.

H*Æc tibi quæ surgunt numerosis tecta columnis,*
Wicchamum *iactant quæ speciosa patrem,*

(*Quæq;*

(*Quæq; Lycæorum est* * *geminorum splendida mater,*
Et pulchris natis pulchrior ipsa parens.)
Aspicienda tuis oculis expandimus ista
Maxima, moxq; animo suspicienda tuo.
Ingredere & tantis succede Penatibus hospes:
Tecta æquum est tantum tanta subire ducem.
Iupiter *& reliqui subière mapalia Diui:*
Hæc maiestati consona tecta tuæ.

* Fundatores Collegij Magdal. omnium animarum huius collegij olim erunt.

ANglia *visa tibi est visendi* Principis *ergô:*
Cur? similis similem semper adire cupit.
Oxonium *visum est, Musas vt visere posses:*
Cur? similis similes semper adire cupit.
Nam natus Princeps, Frederice, *& natus Apollo*
Aptus qui Laurum, qui diadema geras. (es:
Et, si vana tui non coniectura futura est,
Tuq; canenda geres, tuq; gerenda canes.

M*Ars proauus tibi, Nestor auus,* Frederice, *fue-*
Estq; pater Cæsar, tu (puto) qualis eris? (*runt,*

T*E mea musa parum (fateor) dux inclyte, laudat;*
Ignoscas: noscit te mea musa parùm.

Ne

NE Sophiæ dotes mirare Britannia tantas,
Quæ lucent vno conspicienda viro:
Scilicet à Sophiâ clarum qui duxerit ortum,
Hæredem Sophiæ iam Fredericus agit.

MAiores inter, quibus est iam fama superstes,
Belligeros numeras, Pacificosq; viros.
Hîc non arma togæ: non hîc toga cesserit armis:
Stemmate in hoc virtus vtraq; summa fuit.
Hi tituli, Princeps, in te coalescere possint,
Belligeroq; simul, Pacificoq; viro.

PAcificus promittit auus te pacis alumnum;
Belligerum proauus: Rhetoricumque pater:
Tu, Princeps, promittis & hæc, superaddis & hisce:
Sic tua promissis patria diues erit.

SPlendida cum proaui memorantur bella, videtur
Henricus, Romæ Iulius esse mihi:
Narratur quoties Academia Iulia nobis,
Iulius, Augustus creditur esse mihi:
Cum venit ad nostras Henricus Iulius aures,
Augustus nec non Iulius ille mihi est.

Sic

Sic bello, sic pace tui valuêre parentes:
Sic Marti, & musis incubuêre pijs.
At qualis tu Marte, licet frons Martia prodat,
Hostibus hæc maneant experiunda tuis.
Nos docet in tenues pietas tua cognita Musas
Te dignum à docto pleniùs ore cani.

HENRICVS *proauus bello concußit, & armis*
Multos: hinc illi nomen & omen erat:
Iulius Henrico *succeßit pace quietâ,*
Musarumq; choro splendida tecta dedit;
Vt sileant homines, tamen ipsa Academia, Iuli,
Te canet, à cuius nomine nomen habet:
His cum sis ortus, scio quòd pars magna paternæ
Virtutis latitet pectore clausa tuo.

R*Egia progenies, materno stemmate fœlix,*
Et fœlix clari nobilitate patris,
Laudat nobilitas, quæ cœlum vertice tangit,
Te tua; tuq; tuos nobilitabis auos.
Inter auos alter *Musis sacrauerat ædes:*
Belligerique *alter nomina Martis habet:*
Tu benè coniugio Martem cum Pallade iungis:
Te vocat hæc prolem, te vocat ille suam.

Cui dederat Mars ipse manum, linguamq́ Minerua,
O verè hunc fortem, Palladiumq́; virum.

O *Qui* Pacificum *potes appellare* parentem,
Nec non Belligerum *qui vocitabis* auum,
Dic, quæso, hoc vnum facilis concede roganti,
An prior es bello, pacis an arte prior?

Pacis amatorem te nostra Britannia sentit:
Sentiat armatas altera terra manus.

¶ In duos eximios principes, HENRICUM Walliæ, & FREDERICUM Brunsuicensem.

CVm sitis similes, paresq; vitâ,
Æquales animis, pares ferè annis,
Princeps optimus, optimusque Princeps,
Non miror, benè conuenire vobis.

QVæ virgo infœlix propè nulli est nupta marito,
Accedit thalamo virgo Minerua tuo:
Vt tecum Pallas; sic tu cum Pallade, Princeps,
Viuite fœlici nuptaque, virgoq; toro.

Qui tanti, talem qui te genuêre, parentes? (mul?
Num Mars, & Marti iuncta Minerua si-

¶ Collegij Noui descriptio.

MVsa veni, & dictas post mille & mille salutes,
Et post inflexum terq; quaterq; genu,
Excipe: quicquid habet domus hæc spectabile, monstra:
Sint loca sic digito quæq; notata tuo.
Hinc benè dispositos, hospes gratissime, *spectes,*
Quos habet innumeros bibliotheca libros.
Illinc alta gradus ascenditur Aula per illos,
Plus ibi pascuntur terq; quaterq; decem.
Hanc propè, conspicuis domus est firmata columnis,
Hîc habitatorem nouimus esse Deum:
Hîc laudes, cum vesper adest, hîc mane, Tonantis,
Iucundo resonant organa iuncta choro.
Illinc claustra iacent, fessi recreamur in illis,
Sunt ibi diuersis mœsta sepulchra locis:
At tibi, si precibus flectantur numina nostris,
Annos mille tibi, sæcula mille dabunt.
Hinc habitat tectis *Custos *reuerendus in illis,*
Heu mihi, quòd domino nunc caruere suo!
Non illo melior, nec amantior hospitis vllus,
Heu mihi quòd causa est imperiosa moræ!
Hinc illinc, & vbiq; quod aspectatur, ab ipso
Vnicus erexit Wicchamus *ipse solo:*

*Georg. Riues, sa. Theolog. doctor.

Wicchamus *hæc:* & *erit mihi primus* et *vnicus er-*
Cui referam grates, Wicchamus *ille, meas.* (*go.*
Wicchamus *hæc:* & *par* (*me iudice*) *laudibus istis*
Aut nemo, aut tuus est (*nobilis hospes*) auus.
Et sic Wicchamicas *postquàm transiuimus ædes,*
Vt dicam, inuito, restat, ab ore, Vale.

A *Nobis notus quanto exciperereris honore,*
Præstitus ignoto cum tibi talis honor?
Nam licet has nostras peteres non notus Athenas,
Et foret aduentus nescia fama tui,
Fuimus indocti, doctiq;, imoq; ruebant
Turba salutantum mixta togata gregi.
I, dic, hoc falsum est, Ignoti nulla cupido;
Nam fuit ignoti magna cupido tui.

C*Arminibus non me superaret* Thracius Orphe-
Funderem in aduentũ quæ numerosa tuum, (us,
Aduentus foret ille tuus si cognitus; ô quam
Fæcundè noster cognitus esset amor!
Gratantur subitum aduentum schediasmata rapta,
Nam nè nulla darem carmina, rapta darem.

Q*Vid tam pauca datis? quid tam mala? plura me-*
Nescitis magnos & *meliora viros?* (reri

Scimus:

Scimus: at hoc multò est melius dare carmina pauca,
Et mala, tàm magno quàm dare nulla viro.

¶ De PRINCIPE Aulam Noui Collegij ingrediente.

Q*Væ prius* Henrico, *quæ claruit Aula* Iacobo,
Nunc iterùm Vlrico *est nobilitata* Duce.

C*Armina, donantum, si non sint muneris instar,*
Inspicias animos, muneris instar erunt.

V*T tibi, qui viuunt alibi, dent carmina; grata*
Nos aliquid præter carmina, Corda damus.

Φαίδιμε, καὶ ἀγαθοῦ τέκος αἵματος, οὐ χάλκεον
Ξεῖνος ἴδυ ἴκον, τῆς δὲ ἴδυ φιλίαν:
Ἄφθεγκτος λίθος ἐστὶ, τίον κῦδος δὲ καὶ αἰνῶν
Πᾶς λίθος ἀφθεγγόμενος ἀλλήλων λαλεῖ.

Παντοίαι ἡμετέρην κοσμήσεις, παντοίαι βλέψας,
Τοῦτο δὲ πᾶν ἀρετῆς, φαίδιμε, δόξα τίνε.
Ἡμετέραν ἤδη Παλατεῖς τιμᾷ σ' ὡς τίμιον ὄντα:
Τοῦτο δὲ πᾶν τὸ τρέπειν παντοίαις ἡμετέραις.

H*Ic sacra Pieridum loca sunt, hîc antra Dearum,*
Angliquè hîc etiam sunt Heliconis aquæ.

 Nomen

Nomen vbi audieras harum, Celeberrime Prin-
Tam notas properas hospes adire domos. (ceps,
Qualis, vbi intonsus Parnassum *inuisit* Apollo,
Gratia visenti talis in ore tibi.
Si loca doctarum miraris amasq́ue Dearum,
Ipsas, te constat plus adamare Deas.

F*œlix in nostras, dux, ingrediaris Athenas,*
Nam fœlix ad nos Atticus ipse venis:
Ipse colis nostras etiam fœliciter artes;
Non decet vt studijs excipiare pijs?
Nos amat Henricus; *sed tu quoq́ charus & illi;*
O iam mille pijs excipiende modis!
Osculaq́; ecce tuis pedibus damus, Illius ergò,
Et tibi semper erit Wicchama *serua domus.*

S*I canerem* Acciacam gentem, *tibi gratior essem,*
Et de nobilibus quæ memorantur auis:
Si tamen hausissem totas Aganippidos *vndas*
Non potero proauis edere digna tuis.

V Lrico Henricus, Frederico *se* Fredericus
Iungit, & officio gaudet vterq́; pari:
Principem & amplecti princeps, & sanguine cretū
Consimili, simili sanguine cretus, auet.

Æmula

Æmula sic vobis crescat concordia, quæ nunc
Papicolûm *facta est inuidiosa gregi.*

Ὑψηλῶν ἴδεσαι οἴκοις τὰ χρυσῷ πεπηγμένα
Νέον γε τιμαίσατε,
Βίου μάθησις πάντας ὀλβίους τίθει
Ποιεῖ ἀρείτερους ὄλβιν:
Ποιεῖ σοφώτερον ἐσθ', καὶ σὸν ὄνομα,
Καὶ τέρψις τοῦ μέλιτος γ' ἔπι.
Ὁ γραμμάτων ἄπειρος ὀλίγη βροτοῖς;
Ὡς καὶ ἅπας μαθίστατος.
Ἀκαδημικοῖσι κ' αὐλικοῖσι τιμίοις
Ἄρχων οὐδεὶς τιμώμενος.
Τέλος δ' ὑγεία τοῦ βίου σοῦ πατρίδι
Μέλλον οὐδεὶς ἐπ' ἐλπίδι:
Πάντων ἐπεί σου τῶν διδαγμάτων κρατεῖς
Νέον σοφὸν σοφώτατε.

¶ HENRICVS IVLIVS ad filium suum Fredericum Vlricum.

MAiorum, duce patre, libens vestigia pressi,
Et tu signatas, me duce, carpe vias,
Seu bello mauis, siue exemplaria paci,
In promptu inuenies hic quod vtrinq; voles.

E *Cquid ab excelsis,* Dux Illustrissime, *tectis*
Wicchamicas *ædes introiture venis?*
Sic genitor Diuumq; hominumq; Philemonis *olim*
Non dedignatus tecta subire fuit.

Quod

Quod primum in voto sacras sit visere Musis
Ædes, hoc ab auo *num* Frederice, *capis?*
Julia, namq; tua hîc posuit fundamina primum,
Atq; operis tanti dux & origo fuit.
Huius tu Frederice *premis vestigia, nempe*
Musas, queis ædes struxerit ille, foues.

¶ Inuitatio ad BRITANNIAM.

M*Agnus* Alexander *mundũ audijt esse secundũ:*
At tu, si venias, Magne, *videre potes.*

¶ Inuitatio ad LONDINVM.

COnstantinopolin *quibus est ea gloria, visunt;*
Tu Londinopolin, *par ea fama, veni:*
Scilicet alterius sedes hîc altera mundi,
Orbis & hîc posita est Aula secunda noui.

¶ Inuitatio ad OXONIAM.

OXoniam *multi velut vrbem visere gaudent,*
Conspicuam muris, conspicuamq; vijs.

Tu

Tu magis Oxoniam, *musarum cernis vt ædem,*
Conspicuam libris, conspicuamq; Scholis.
Cerne vel vt similem, vel cerne vtramq; vt Idæam,
Vel quod habes similem, vel quod habere potes.

Inuitatio ad Collegium WICCHAMICVM.

Miraris turres celsas, Collegia celsa,
Quoquot in Oxonij *conspicis vrbe vadi?*
En tibi Wicchamicum *hoc inter Collegia primum*
Cuius in externis mentio tanta locis. *(ædem,*
Wicchamus *hanc posuit* Ventanus Episcopus
Atq; huic Ventana *struxit in* vrbe *parem.*
Quorum vnum geminos decuisset condere Reges,
Ecce vnus præsul *condidit illa duo.*

¶ De Peregrinatione.

Aut Sophus aut Princeps peregrinas visito terras
Hic mores, mentes cernat vt ille virûm:
Illius exemplum prudens ostendit Vysses, :
Huius & exemplum Legifer *ipse* Solon :
Aut hunc aut illum laus est non ampla sequenti:
Hunc, illum partiter laus tua, Magne, *sequi.*

Nempe in Principibus cum sint sing'laria cuncta,
Sing'lum, aut soliuagum debet inesse nihil.
Sic potes & mores, & leges ponere quondam,
Si Princeps hodie sis simul atq; Sophus.

A*Ffinis Regi Reginæ à stirpe vocaris;*
Affinem puto te moribus esse magis.

S*Anguine, iure places Regi,* Dux inclyte, *nostro,*
Nobilibus vera, Nobilitate places;
Vrbe places, multas Iuuenis *quòd videris vrbes;*
Regia quod tot das munera, rure places:
Sed quamuis alijs placuisti dotibus istis,
Nobis præcipuè Relligione places.

N*On, tibi quòd proauus clypeo metuendus & hastâ;*
Non, auus insigni quòd pietate fuit;
Non, pater ingenuas penitùs quòd calluit artes,
Linguarum & clarus cognitione fuit: (mentes
Non hæc tam nostras, Princeps celeberime,
Cuncta mouent; (quamuis hæc quoq; cuncta mouēt)
Quam quòd aui virtus in te, pietasq; relucet,
Quòd referas proauum corpore, mente patrem.

Ergo

Ergo age te dignum tam claro stemmate præsta,
Vtq; æquas, proauos sic superato tuos.

SYrmata vidisti viuo suffusa rubore?
Aduentu fiunt hæc quoq; læta tuo. * Doctorum purpuram.

QVòd tantus, tam grata sibi, Germanica *liquit*
Arua, sibi nè non visa Britanna *forent:*
Dicite (quos æquū est semper meminisse) Britanni
Germanam, *pietas non sapit ista*, Fidem?

ORnamenta *alij*, Titulos, *vt maxima quærunt,*
At tu quod Titulos *pulchriùs ornat, habes.*
Vtq; nec ad cytharam Phœbus, neq; segnis ad arcum,
Sed promptâ neruum tendit vtrumq; manu:
Sic te nec Docti fugiunt, neq; Principis artes,
Pectore sed spirant cum Ioue Musa tuo.
Contulit ille aurum, Laurum dedit ista, Coronæ
Vt geminæ vobis præstet vterq; decus.

Marte potens proauus vicinos terruit hostes:
Arte valens Musas doctus amauit auus.
Alter Pacificus *dictus, sed* Bellicus *alter:*
Hic Brunsuicensis Romulus, *ille* Numa.

Quam benè spirat auus, proausq; in pectore vestro!
Nam velut arte vales, sic quoq; Marte vales.

ET *pater & natus linguam didicere* Pelasgam,
Et Suadam Latij *nouit vterq; fori:*
Et pater, & natus musas ornantq; fouentq;,
Diligit & doctos doctus vterq; viros:
O patrem dignum nato, natumq; parente!
Nestoris ò dignum viuere vtrumq; dies!

A*Edificauit auus doctis Collegia Musis:*
Ornat diuitijs ædificata pater:
Tu pedibus patrijs hæres pie semper inhære,
Nè patiaris aui, aut tecta perire patris.

O *Iuuenis claro numeras qui in stemmate reges,*
Atq; animum dignum stemmate regis habes,
Accipe (sed facilis) musæ munuscula nostræ
Quæ minimum summi pignus amoris erunt:
Sic benè in ambiguo conseruet Iupiter *almus,*
An sit mens maior, Nobilitasne tibi.

O *Mirum! pugnant, sed in vnâ sede morantur*
Et virtus, tanti Nobilitasq; viri.

Nam neq; Nobilitas virtuti cedere possit,
Nec victa est virtus Nobilitate tuâ.
Nomine virtutes, nomen virtutibus æquas;
Sic tibi perpetuum lis dabit ista decus.

F*Allimur: æquoreas an tardè allabitur vndas,*
Et refluas Tamisis *fortius vrget aquas:*
At puto per ripas (Princeps) *te spectat euntem,*
Et gestit retrò quò licet ipsa sequi.
Ergò non Phæbe *tantum dominatur in vndis,*
Princeps *imperium in flumina* Pæbus *habet.*

M*Irabar quare Musis sacrauerat ædes*
Ille tuus tanto nomine dignus auus.
Desine mirari dixit mihi pulchra Thalia,
(Sic illa in causas ingeniosa fuit,)
Scilicet vt seris res gesta nepotibus olim
Virgilium *inueniat,* Mæonidemq; *suum.*
Cum Musâ Alcides *nunc sede habitabit in vna,*
Alter magna gerens, altera gesta canens.

E*Xerces belli regalia munera: Mortem*
Contendis factis posse referre tuis?
Instar Martis obis suscepta hæc munera, pulchro
Corpore muneribus conueniente tuis.

An magis ad doctas animum diuerteris artes?
Exit Apollineus protinus ore sonus.
Oxonia *hoc sensit, cum, doctâ stante corona,*
Non expectato solueris ora sono.

Ad Principem FREDERICVM Vlricum de Papa PAVLO Quinto. Et illius anagrammate.

C*Redi* Papa *velit sibi* Paulus *nomine* Quintus
Paulus, *cui credis, nomine* Primus *erat:*
Dicere si fas sit, Princeps Vlrice, *sapisti*
Quod Pauli *alterius dogmata nulla sapis:*
Nam rogo, dum iactat se Pauli *nomine* Quinti,
Nominis istius sic Anagramma feret?

PAVLVS QVINTVS.

Quis tu? An lupus?

Ad eundem de Anagrammate eodem.

T*Ransuerso, mores pateant, cum è nomine* Papę
Nil tibi cum Romæ glorior esse lupo.

C*Larus auiq; tui proauiq; es sanguine; quorum*
Huic Belli, *ast illi nomina* Pacis *erant.*

An

An non omen erat, summum, Generose, *futurum,*
Et belli & pacis te, Frederice, *Ducem?*

M*Agnificas quondam Musis donauerat ædes,*
Qui tibi auus (Princeps Magne) *paternus*
Quis non te illius dicet de stirpe creatum, (*erat,*
Qui iuuenis musas sic Frederice *colis?*

M*Agnum incrementum* Frederici, Maxime, *regis*
Magnorum Heroum stirpe, Ducumq́ sate,
Wicchamicæ *officium nè dedignere Camænæ*
Quæ te tam paruo munere, Magne, colit.
Parua quidem sunt hæc, sed quo sis, Maxime, maior
Hoc capiunt animum munera parua magis.
Si nisi pro genere & meritis tibi nulla dabuntur,
Munera, rarus erit, qui tibi dona feret.

Q*Vi venis ignotum magnus peregrinus in orbem.*
Te nihil in toto clarius orbe vides:
Tu spectas orbem, spectat te maximus Orbis:
Hunc tu miraris, te tamen ille magis.

L*Æitiæ nostræ,* Rege, *Henricoq́ receptis,*
Addi credideram nil potuisse magis,

Plena

Plena videbantur quæ nos concepimus olim
Gaudia, nec plene plena fuere prius. (*multum*
His cum magna forent, cum iam prope maxima,
Addidit aduentus, Dux generose, *tuus.*
Quod si plena prius, quæ nunc sunt illa futura?
Gaudia nunc omnem præteriere modum.
Vltra cancellos, modo quos habuere, feruntur
More suas ripas egredientis aquæ.

T*E quod amet* Princeps, *non est laus vltima, laudes*
Inter, Magne, tuas prima nec esse potest.
Te quod amet Princeps, *non tàm nos forsan amamus*
(*Sit licet hoc magnum, conspicuumq́ decus;*)
Illius quàm quod fueris tu dignus amore;
Virtuti causa hæc est tribuenda tuæ.
Ergò te Princeps *noster populusq́ salutat;*
Teq́ salutatum nostra Thalia *venit.*

Q*Vòd natura dedit pulchrum & spectabile corpus,*
Ecce domus Domino conuenit apta suo:
Quod sublimem animum dedit, & virtutibus auctũ,
En dominus domui conuenit ille suæ.

Fælix

Fœlix illa domus, dominum quæ continet illum:
Fœlix hanc dominus qui colis ipse domum.
Ergo & nostra simul fœlicia dicite tecta
Quæ dominum ac talem continuêre domum.

T*Vrgida* Neptuni *post flumina, suscipe, Princeps,*
Pieridum mitis quod tibi præstat Aqua.

I*N quo singula plena Gratiarum,*
Musarum poterit domos adire
Non gratissimus omnium aduenarum?

I*Pse salutasti Musam, te Musa salutat:*
Tu seruam, dominum serua sed illa suum:
Tu Musis, Musæq; tibi decus esse laborant,
Tu, Princeps, Musæ gloria, Musa tibi.
Musa quidem certat, sed non quæ vincere sperat:
Esse decus tanto, si queat esse, cupit.

F*Ama tui nobis, Princeps, prænuncia venit,*
Et nondum viso corpore notus eras.
Crede, & parce mihi, potui vix credere famæ
De te tam lautè cuncta locuta fuit:
At simulatq; ipsi præsentia vidimus ora,
Quam de te visa est fama maligna loqui!

Auris sic aliquem tibi conciliauit amorem:
Quantus at * ex oculis ortus & auctus amor!

* ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν.

EN iactant alij magno se stemmate natos,
Idq́; sibi laudis satq́; superq́; putant.
Magna quidem laus est fateor de Principe nasci,
De magno fieri sanguine magnus honor:
Ast vbi virtutes simul accessere beatæ,
Et musæ sacros applicuere sinus,
Heu quantò magnâ maior tua gloria fiet!
Maiori quantò dupla, redupla magis!
Digne & docte VIrice tuas mea carmina laudes
Spectant, te spectat Musa, tuumq́; decus,
Qui vt patrio verè laudaris sanguine, sic tu
Virtute in propriâ dignus amore tuâ:
Te pater, & patrem tu, vtrumq́; relaudat vterq́;:
Tam benè moratus, tam benè natus eras.

HOspitibus veteres soliti dare munera Graij:
Sic quoq́; & hospitibus gens sumus Angla pij.
Donatum Musæ dimittunt carmine; sed te
Dotatum xenijs Principis Aula suis.

DElate in nostras Princeps fæliciter oras,
Nec minus in nostram iam Frederice domū,
Quo

Quo tibi præsenti xenio gratulabimur Hospes?
Quódue tibi munus Musa repentè dabit?
Excipimus portis, Princeps generose, *reclusis;*
Pectora sed longè crede reclusa magis:
Atria lata vides; quæcunque sed atria cernis
In laudes credas tota patêre tuas:
Aulam si ascendas, gratum saluere iubebit,
(Adde sonum lapidi) Wicchamus ipse pater:
Quod si templa petas, quis templo gratior vnquam,
Quam qui templa piæ relligionis amas?
Bibliotheca tibi visa est? hic nota librorum
Iam gestit faciem turba videre tuam.
Quocunque incedas, videas quæcunque, salutem
Optabunt arces, mœnia, templa, tibi.

HÆc tibi festinans peperit quæ carmina Musa,
Horrida, & orba suo lumine, cæca vocas?
Vnum cum sapiant, equidem non miror, Amorem;
Scilicet à cunctis cæcus habetur Amor.
Sed tamen, vt cæcus, videt in te Principe tanta
Vt iam sit mutus, non modò cæcus, Amor.

COgito multa, nec est quid nō laudabile, Princeps,
Siue ego te, stirpem cogito siue tuam.

Dat ſincera patri pietatis Gloria nomen:
Dat proauo Martis *gloria*; Pacis *auo*:
Hæc tot tanta tibi, Princeps, dent ſingula nomen;
Scilicet, antè trium quod fuit, vnus habe.

(Princeps)

A*Ccipe* Wicchamici *gregis hæc quæ carmina*
Sacrat in aduentum læta camæna tuum:
Vix bona, rapta breui ſint tempore, carmina, ſolus
Sed bonus eſt, inter tot mala, Dantis Amor.

¶ Ad FREDERICVM 2dum Daniæ Regem de Sereniſſimis Principibus, eius *nepotibus*; HENRICO FREDERICO Walliæ, & FREDERICO VLRICO Brunſuicenſi.

E*N gemina hîc*, Frederice, *tua de ſtirpe propa-* (go
Sanguine nata tuo, nomine nota tuo.
Fœlix qui tales potuiſti gignere natas;
Quæ tantos poterant progenuiſſe viros.
Non vno in ſæclo, his, pepererunt omnia regna,
Aut vno in regno ſæcula cuncta, pares.

C*Vltores Sophiæ quòd nos*, Frederice, *ſalutes,*
Nil mirum, Sophiâ *ſtirps generoſa ſata es.*

Illa

ILla hodiè monumenta manent virtutis auitæ,
Mœnia Pacificus quæ ſtatuebat auus:
Pieridum inuiſis, Dux, hîc & ſuſpicis ædes:
Viuere, te viuo, quis dubitabit auum?

EXcipit hoſpitio te Academia læta, viciſsim
Excipe tu Hoſpitio carmina noſtra tuo.

TV quod honoratis clarus virtutibus audis
Et quia tu nobis Regius hoſpes ades,
Carmine in aduentu te nos excepimus iſto;
Carmen habes quoniam carmine digna facis.
Tam propè at Henrico quia noſtro ſanguine iunctus
Hoſpes ab Henrico principe miſſus ades.
A nobis aliquid capias iam carmine maius,
Jungitur en Muſis officioſus amor.

TEcta videre potes, ſpectaſq; hæc noſtra: dolendum
Hoc vno, quod non corda, videre potes.

HÆc tibi quæ longum noſtri teſtētur Amorem,
Carmina ſacramus tempore facta breui.

FINIS.

